Multis nominibus Generosissimo viro Domino Thomæ Hennagio, à thesauris cameræ Regiæ, Domino mihi plurimum obseruando, carmen pro Xeniolo.

Cce iterũ Hennâgi tibi stat sacrare labores,
Est etenim Latio tua fama locãda cothurno,
Non indigna pijs oculis, vel iudice docto
Sunt ea, quæ Selomòh resonanti fulminat ore.
Teq;, tuamq; fidem fide deposcimus, istis
Mecœnas faueas numeris, foueasq; benignus.
Tu mihi, tu semper iactatis anchora rebus,
Et spes, & ratio studiorum in te fuit omnis.
Tu rege, vel tege, vel lege, te, bone, te penes vnũ est,
Huic fatum, aut animam demsisse, dedisseue libro.

Tho. Dranta.



IN SALOMONIS REGIS ET PRÆCONIS ILLVSTRISS. ECCLESIASTEN, SEV DE VANITATE MVNDI, CONCIONEM SAPIENTISSIMAM, ET CELEBERRIMAM, PARAPHRASIS POETICA.

Acceſſerunt etiam annotationes marginibus affixæ non inutiles.

Thoma Dranta, Anglo, authore.

Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris circa multa. At qui vnius rei opus eſt. Maria verò bonam partem delegit, quæ non auferetur ab illa. Luc. 10.

Qui dominum reuerentur, inquirent, quæ grata ſunt illi. Qui diligunt eum, lege ipſius implebuntur. *Sirach. 2.*

LONDINI,
apud Johannem Daium
Typographum.

Anno Domini. 1572.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Multis nominibus Generosißimo viro Domino Thomæ Hennagio, à thesauris cameræ Regiæ, Domino mihi plurimum obseruando, carmen pro Xeniolo.

ECce iterũ Hennâgi tibi stat sacrare labores,
Est etenim Latio tua fama locãda cothurno,
Non indigna pijs oculis, vel iudice docto
Sunt ea, quæ Selomòh resonanti fulminat ore.
Teq́;, tuamq́; fidem fide deposcimus, istis
Mecœnas faueas numeris, foueasq́; benignus.
Tu mihi, tu semper iactatis anchora rebus,
Et spes, & ratio studiorum in te fuit omnis.
Tu rege, vel tege, vel lege, te, bone, te penes vnũ est,
Huic fatum, aut animam demsisse, dedißéue libro.

Tho. Dranta.

In honoratum virum, Dominum Thomam Hennagium, solidè literatorum hominum patronum strenuum, ac benignum Syllogismus Gratulatorius.

IN domo diuûm locus est paratus
Hisce, qui Christum coluere, quiq;
Diligunt vnum triplici diremptum
Nomine numen.

At Deum cœli bonus ornat ille
Laudibus summis, fauet eruditis
Et Dei legi, scelerum ministros
Odit, & horret.

Ergò cum fructus pius edit ipsos
Spiritus, certè volucri volatu
Surgit ad cœlos, vbi plena carpet
Gaudia fœlix.

CHRISTOPH. CARLILVS.

Lectori

Lectori benevolo in Christo Jesu Salutem.

NOn placet, lector amiciſſime, in re nõ magna te multis affari. Fateor me in Salomone, hoc meo poëtico, aliqua nouaſſe, aliqua nõ temerè auſum eſſe, quæ tu niſi aut mecum ſapias, vt inquit ille, aut ſaltem ſentias, aliquantulum fortaſſe mirabere. Quod ad theologiam ſpectat, & textus interpretationem, q̃ pauciſſimis ſanè in rebus priuato meo ſenſui indulſi. Ea tamẽ lege, vt nullius in verba ſim iuratus. Ego quoniam totum hoc meum interpretandi conſilium diſſimulare ſtatui, donec (deo optimo maximo dante) quos vellem, ſuis numeris Iobum abſoluero: nihil amplius aut dicam, aut hactenus dictu neceſſe arbitrabor. Tu tãtùm quiſquis es, mi frater in domino chariſſime, deum cœli, & meum, & tuum mecum vnà comprecare, vt quod nos ſeriis, & ardentibus ſtudiis aggredimur, & deſudamus, id omne deo gloriæ, & eccleſiæ ſuæ emolumento eſſe poſſit, nobiſq;, ſeruis ſuis humilimis, fraudiſq; expertibus, non fraudi. Vale Londini, Anno verbi incarnati. 1571.

Tuus in Chriſto frater, Thomas Dranta, *Archidiaconus Leuuicenſis.*

In D. Tho. Drantam, concionem Selomonis Versibus Latinis reddentem Christopheri Carlili, Carmen.

...ia genera di-
...di in Dran-
... sicut in Ho-
...ero.

DIstincto varius Drantæ fluit ordine sermo,
Sedato incedit nisu, cum causa, stylusq;
Postulet, & ratio scripti quòd carmina tractat.
Hoc genus à Græcis ἰσχνὸν, ψιλὸνq́ vocatur,
Quo delectatur studio Menelaus Homeri.

Ητοι μὲν Μενέλαοσ ἐπιτροχάδην ἀγόρευε
...ια.γ. Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπείοὐ πολύμυθος
Ου δ' ἄφαμαρτοεπὴς, εἰ καὶ γένει ὕςερος ἦεν.

Dranta genus sequitur nonnunquam æquabile, quale
Facundus Nestor Pyliorum orator, & ingens
Gloria Græcorum modulatur, melle, fauoq́
...λια α. Cuius ab ore fluit sermo iucundior omni
—Τοῖσι δὲ Νέςωρ,
...λια.γ. Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λυγὺσ Πυλίων ἀγορητὴς
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Ne non inferior grandi videatur Vlisse,
Flumina verborum funditq́, & fulmina vibrat.
Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν.

De eodem Salomonem claudente, & Iobum iam moliente.

DRanta nouo veterem cultu Salomona perornat
Nudam veste cutem ter radiante tegit.
Dranta Palestinæ vulgat mysteria linguæ,
Lima polit Iobum Drantea difficilem,
Maiestas vocum certat cum pondere rerum,
Carmina compta pari cum grauitate fluunt.

Ad eundem iudicio minime fucato.

EDit insignis pietate Dranta
Dicta prudentis Selomonis. Ornat,
Et polit verbis grauibus, diserta
Carmina fundens.

Exprimit

Exprimit neruos, varios colores
Rhetorum, vires Sophoclis, Maronis
Cum ſonum, tum vim, grauitate magnum
Vincit Homerum.

Fecit Hebræum Salamona fari,
Et loqui purè, ſimul ac Latinè,
In labris Drantæ ſedet ipſa Peitho
Suade medulla.

Orpheus quercus, furias, paredros,
Fraxinos, Faunos, Satyros ſalire
Nablijs fecit, Lyricoq́ cantu
Saxa mouere.

At rapit mentes, animoſq́ Dranta
Flectit obtuſos, ſoboles Adami,
Filios iræ trahit ad ſalutem
Carmine ſuaui.

Mollibus mulcet monitis volentes,
Cogit inuitos, trahit obſtinatos,
Hoſtium mentes ferit, atq́ dura
Pectora pungit.

Diuitum capſas, opulenta tecta,
Regios ſumptus, cytharas canoras,
Quasq́ foedas res Epicurus effert,
Laude refellit.

Numinis cultum, ac animi ſalutem
Anteponebat fragili ruinæ
Omnium rerum. Deus, inquit, vnus
Eſto colendus.

Plura quid dicam? Memori tenete
Mente quæ ſcribit. Meliora cudet
Indies. Plures dabit ipſe libros,
Carmine ſcriptos.

¶ Ad eundem, quod qui Christum neq; dicere potest, neq; vult discere, indignus est qui Christianus dicatur.

ARtificem censebis eum, qui nesciat artem,
Atq; vsum? medicũ, verus quem præterit vsus?
Qui nescit corpus quibus ex humoribus aptũ?
Et qui præsertim generoso sanguine gaudent?
Vel quos flaua premit bilis? vel nigra molestat?
Vel pituita grauat? Vetulis inimica vetustis
Ergò à Christianis laudetur inertia solis?
Et diuinarum fœda ignoratio rerum?
Quam temnunt artes omnes, harumq; magistri,
Quam medici, astrologi, frugis melioris aliptæ,
Quam Turcæ, Hebræi, terras qui vomere scindunt?
Possunt ne agricolæ dici, qui tempora veris
Ignorant, necnon quo sydere spargere semen
Conueniat, quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori? Num Stilponicus, cui stilpo negatur
Cognitus esse? Nequit fieri. Num Christianus sit
Qui nomen gestat? Sine re stat nomen inane.
Non sum Christianus solum quia nomen ab illo
Cœpi, sed quia percipio præcepta beatæ
Vitæ, quæ tradit, lego quæ nocteq; dieq;.
Non est Christianus Iudas quia sumpserat escam
Cum Christo in mensa, nec quòd comitatus Iesum.
Nec magus ille Simon madida quia tingitur vnda.
Quid nubes expers pluuiæ? sine fonte perenni
Quid puteus? quidue est sine vino, & pane taberna?
Expers quid Christi vir erit, nisi bellua fœda?
Expers quid legis sanctæ, nisi vile cadauer?
Ergò Dei leges qui non tenet, atq; volutat,
Sub terras penetrans stygias trudetur ad vndas.

¶ Domino Archiepiſ. Eboracenſi,
Heroi. eccleſiaſtico, pietate, integritate, & iudicio, incomparabili.
Tho. Dranta.

SCribetur mihi quippiamne quãdo
Et te pagina noſtra conticebit,
Quo nil viderit orbis iſte noſter
Præcellentius, eruditiuſue,
Aut ſanum magis, aut magis modeſtum
Laudatum mage, digniuſue laude?
O quondam mihi amabilis magiſter,
Et ſanctum caput, & mihi colendum.
Vin' noſtrum Salomona lectitare?
Vis Drantæne ſinu fouere librum,
Ipſum ceu ſolitus fouere Drantam,
Drantã, quem malus, impiuſq; mundus
Multis perdere machinis ſtruebat,
Exquo tempore te reliquit ille?
Tu ſemper valeas, polumq; ſpires,
Ipſe & quod veniet valebo cunq; .
Nam tantus deus in meis medullis
Pernoctat, vigilat, valet, caletq;,
Permulcet, leuat & meos dolores,
Iobus ſi fierem, tamen valerem.

Ad Iesum Christum, Deum, & dominum, optimum, maximum, Hymnus.

IEsu Christe, bono nate deo deus,
Fessis sola quies, & columen bonis,
O & præsidium, & dulce decus meum.
Morborum satis, & mœstitiæ mihi.
Sœuitum satis est, parce precor, precor.
Et me redde mihi, pectora posside,
Me te quæso reple, fortiter occupa
Sedes has animi, sis bonus ò bone,
Nam vel mons Helicon, vel Polyhimnia,
Musæ Castalides, Pïeriæ aut deæ,
Sunt exosa mihi perdita numina,
Sunt exosa mihi pessima nomina.
Dum dius Selomòh panditur, huc ades,
Affulgeq; meis carminibus deus.
Tu solus sapere, & posse loqui facis.
Per te cuncta queo, sed sine te nihil.

fol.8.a. lin.penult. *Semper inexperti.* lege. *Haud vnquam experti.*
fol.13.b. lin. 9. *Naufragia.* lege. *Mala deuia.*

Sunt vanitas, sunt vanitas, sunt omnia
O ter, quaterq; vanitas.
Sunt solis, & ventorum, & fluminum vana vices,
Solers & indagatio.
Nostrisq; viribus quodcunq; fiet optimum
Est mira, meraq; vanitas.

Argumentum Cap.

INclytus ætherij præcoq;, & buccina verbi,
In solymis Selomòh, rerũ qui rexit habenas,
Principe prognatus, princeps Dauide parẽte,
Omnia scrutatus, terraq;, mariq;, poloq;
Sole tenus, planéq; nihil durabile cernens,
Miratus toties, toties stupefactus in istis:
Suggesto tandem sic est hæc orsus ab alto.
2 O fragiles res mortales, ò quicquid vbiq; est
Instabile, incertum, totumq;, & prorsus inane.
3 Quid iuuat impigro sic indulgere labori,
Atq; opera immensa grandes adscisscere gazas,
4 Cum nimis hoc constet nos non consistere, & ætas
Ætatem moriens, morientem fluxa sequetur?
Ipsa licet tellus longos sancitur in annos:
Ipsa tamen tellus longis vitiabitur annis,
Ibit & in cineres annosam induta senectam.
5 Scintillans roseo nunc Titan surgit eoo, *Sol.*
Formosus medio nunc idem ludit in axe,
Nunc etiam occiduas vergit decliuis ad oras,
Nunc aquilonarem scrutatur lampade zonam,
Ac demum solito se cassus condit in orbe,

Vnde iter assuetum toties reparabit anhelans.

Ventus.

6 Haud secus & venti valido se robore miscent,
Eq; cauernosis ructati fortiter antris,
Impulsu largo, cunctis spatiantur in oris.
Notas dein repetunt lasso conamine sedes.

Aqua.

7 Lubrica prælongas præterlabentia ripas
Flumina (fas visu) protenta volumine crebro,
Horrisonum multa vi præcipitantur in æquor,
Nec tamen his ingens poterit complerier æquor.
Ergò suum remeant antiquum flumina in alueum,
Irrita, sicq; iterant veteris vestigia gressus.
8 Omnia sunt mundi fluido pendentia pacto,
Tot variantq; vices, toties reuolutaq; eòdem
Tam pede vertuntur celeri, & mutantur in horas:
Non hominis possit vel lingua loquendo profari,
Nec memorare satis, sed non audisse vel auris,
Lumina vel poterunt sese satiare videndo.

** Rerum mutatio arguit vanitatem.*

9 * Dicite mortales, quid id est, quod tempore prisco
Extitit? id quod erit. Quid fit? quod postea fiet.
Certe, nil posthac in apricum proferet ætas,
Quod non prolatum est in tempestare priori.
10 Dicite mortales (sed non est dicere cuiquam)
Anne noui quicquam quis seclo viderit isto?
Nemo noui quicquam seclo spectauit in isto,
Antea quin poterant maiores cernere nostri.
11 Ast ea sunt omni iampridem pectore lapsa,
Postea cum redeunt, nobis nunc nata videntur.
Hæc quoq; quæ gerimus nos, & quæ cernimus ipsi,

Eradicabit

Eradicabit natis obliuio noſtris,
Poſt aliquotq; nepos non facta putabit ariſtas.
12 Ipſe ego, qui Solymis, ſceptro, ſolioq; tremendus,
Imperio Iſſaïcum ſoleo frœnare popellum,
13 *Vt ſcirem, & ſaperem flagrabam, totus in illo,
Omnigenæ fieri cuſtos, myſteſq; ſophiæ.
Summo iure deus nimia nos vexat opella,
Cum nimia noſtrum torquemus ſponte cerebrum.
Ergò callendi pergo palleſcere cura.
14 Senſi res vanas, ſapere ipſum deniq; vnum eſt,
Prægrauat atq; animum, lento laniante dolore.
* Nititur in vetitum mundus, ferturq; ſiniſtrûm:
Siſtere quem nequeas, vel percenſere ſceleſta
Tot mala, tam totis latè graſſantia regnis.
16 Aſt ego ſum viſus mihi, memet iudice, ſolers,
Prudenſquè, & ſophiæ magnus, miruſquè magiſter.
Nec verò mihi ſe poterat componere regum
Sceptrigerûm quiſquam, gentẽ moderatus Hebræam.
Tam mea ditauit locuples ſapientia corda,
Et lautam oppleuit cumulata ſcientia mentem.
17 Hic labor, hoc opus, huc velis, remiſq; ferebar,
Noſcere res cunctas, atque harum noſcere cauſas,
Dementi prudens, & inane abſcindere ſoldo.
Hoc etiam anxifero mentem eſt peſſundare damno:
18 Prodiga nam triſtes ſapientia procreat iras,
Gignit & attonitas immenſa ſcientia curas.

* Sapientia quæ nititur humano cerebro, vana eſt.

* In hoc mundo ſunt errata, impedimenta, & ſcelera violeta, quæ agerrimè corriguntur.

Caput ſecundum.

Et copiarum vana res eſt affluentia,
Et more ſtulti viuere.
Alendo ſeruos, extruendo, muſica
Non eſt bonum quod quærimus.
Dat damna mundus magna prauis, & bonis:
Te nolo mœror exedat.

MOroſas igitur ſophias, tetricaſq; peroſus,
Stultitiæ fieri decreui, denique compos.
Cor agedũ (dixi) mœror procul omnis abeſto,
Eia age, delicijs cor luxuriato ſupinis.
* Corporis experiar num quid ſit bella voluptas,
Corporis (expertus loquor) eſt & vana voluptas.
2 Quam fatuum eſt tremulo rictũ laxare cachinno?
Quid lepos exundans, riſus, fronteſq; ſerenæ?
Læticiæ magnæ quis paruus ſuppetit vſus?
Pertæſo ſtupidi pacto ſtulteſcere vulgi
Stat vitæ noua lex, non tanti viſa voluptas
Corporis iſta placens, ſtatuebam fortiter ergò,
Fœcundos ſapidi calices guſtare Liæi.
3 Nec deſpecta mihi ſapientia priſtina prorſus:
Corporis exercet nec prorſus cœca voluptas.
Prudenti placuit nunc interponere ſtultum:
Et prudens ſtulto, tandem vt conſtaret an eſſet
Hac vita ſub ſole bonum mortalibus vllum.
4 Hinc mea geſtarum proſtant præfulgida rerum
Tot monumenta, meos cuperam queis paſcere ocellos.

* Summum bonum in corporis voluptate ponere ſumma eſt vanitas.

Extruxi

Extruxi nitidis variata palatia gemmis,
Ædes præclaras ſtatui, mea mœnia vidi:
5 *Deinde coronaui tumidis vineta racemis*
Splendida, ne deeſſent criſpantis pocula Bacchi:
Colluxere mei ſpecioſis fœtibus horti:
Adfuit vmbroſis delectans frondibus arbos:
Adfuit & fragrans pictorum gratia florum:
6 *Concluſi vitreas ſtagnis torpentibus vndas,*
Deduci poterat vis vnde fluentis aquai
Labilis, irriguo mulcens ſata læta liquore.
7 *Inſuper & rectè qui munera tanta capeſſant*
Sunt mihi perplures famuli, famulæq; parati.
Non fuit in ſolymis pecudum me ditior alter,
Non pecorum: quorum pars fœtibus altera reſtat:
Altera pars præſtat gnauis alimenta miniſtris.
8 *Argenti diues, rutilantis diues & auri*
Abdebam loculis fulua oblectamina cœcis
Regnorum, & regum nummos, gazaſq; ſuaues.
Sollicitudinibus laxet quæ pectora mœſtis,
Non fidicen, non cantatrix mihi blandula deſit.
Namque miniſtrabat pretiumq;, & præda potentes
Vocibus, & plectro, & præſtantes corpore nymphas.
9 *Sic mihi, ſic votis fluxerunt omnia ſummis,*
Omnes haud ægrè poterant vti cedere reges,
Qui mea tractaſſent ſublimia munera celſi.
Et comes interea manſit ſapientia mecum.
10 *Non auidi quicquam fruſtrà cupiſtis ocelli,*
Sed neque tu fruſtra quicquam cor molle petiſti

Iucundi, aut lepidi: nulla est tibi clausa voluptas.
Portio namq; operis fuit hæc gratissima duri.
11 Luminibus claris, quæ gessi cunq;, pererro.
Vt vidi, vt sensi vana esse, & tristia menti
Omnia, sub magno nil vtile sole repertum est.
12 * Culpatam nollem quisquam putet esse sophiam,
Quæ placet, & cuius fueram perscitus alumnus.
Qui quoq; prudenti potui dinoscere demens.
Namq; solent reges musis didicisse secundis,
In promptu queis sunt musæ quæcunq; requirunt.
13 Non est (crede mihi) non est sapientia vilis,
Quantum nam tetras vincit lux alma tenebras,
Caligo quantum superatur numine Phœbi:
Stulticiæ tantum pollens sapientia præstat.
14 Omnia vir prudens oculis rimatur acutis,
Et videt, & cauet, & solers sibi iudicat æquè.
Stultus at in tenebris deliris passibus errat,
Non tutus proferre pedem, non figere gressum.
* Nec tamen inficior sub eisdem legibus esse
Prudentem, & stultum, perimit quos exitus idem.
15 Mœstificas, ergò, tractabam sæpe querelas,
Sæpius obstupui veluti vertigine tortus,
Prudens, & stultus (dixi) si fune iugantur,
Si miseri socijs subduntur casibus ambo.
O Selomoh, Selomoh, quæ te dementia cepit?
Omnibus, ah Selomoh, cur stulte macrescis in horis.
Prolixo sophiæ studio iactatus inanis?
Nam quid ago miser? aut cur deside langueo musa?

* Prudentia & stulticia non cõfunduntur.

* In aliquibus tamen propè pares sunt prudens & stultus.

Cur tot ſuſtineo, & tanta negotia? Moles
Ærumnoſarum rerum cur miſceo tantas?
16 Scilicet vt longo cenſeri nomine poßim,
Vt populi laudes, atque acclamatio fiam.
Non ita, non fiam, iam iam nos, noſtraque morti
Debemur, ſtultum eſt pectus concredere famæ,
Extemplo cuius volitantia murmura ceßant.
Prudens, & ſtultus parili nam lege premuntur.
*17 *Pœnitet ingenij, vitæ, curſuſquè peracti,* * Πολυπραγμοσύνη taxatur.
Exantlatorum tædet meminiße laborum.
Omnia momento ſic ſunt abitura caduco,
Omnia triſte malum, mentis mœſtæq; grauamen.
18 Diſpeream, ſi non mea tanta negotia ſpernam,
Et piget, & ſuperis ingratum eſt veſcier auris.
Diuitiæ dulces, & regni lucida ſceptra,
Ciſtis, & cryptis fundata pecunia tutis,
Et domus, & domui cultus propè conſitus hortus,
Vxorumq; chorus, quondam mea cura, tenellus,
Obſequijs blandæ famulûm, promptæq; phalanges.
Vos ego, vos omnes moribundus, & omnia linquã. * Diues bis miſer, tum quod bona eius ſunt illi relinquẽda, tum quod incerto hæredi.
Vos mihi, me vobis mors auferet vltima rerum.
19 Adde, quod adueniens mihi nõ cognoſcitur hæres.
Diuitijs tantis quis palmas ingeret iſtis,
Haud penès eſt, quãquam ſua quem poſſeſſa receptãt.
Sit tamen imprudens, ſtatua non aptior ipſa,
Ille meus fuerit fors hæres, debinc herus, heros
Imperium inſulſum dictabit fronte minaci.
Ah meus, ah vultus cuinam ſudauit, & alſit?

Sæpius incaſſum certè ſudauit, & alſit.
20 Non, ò non iterum meditanda negotia tanta,
Non tollenda humeris rurſus geſtamina noſtris.
21 Sunt homines, ſunt prudenter, iuſteq́; pieq́;
Queis fortunarum creuit poſſeßio fœlix.
Nec penes hos, qualis ſuccedat ſedibus hæres,
An bonus, an gurges, turgenti abdomine ſegnis,
Perditus, ingratus, decoctor, ganneo, vappa.
22 Non operæprecium eſt miſeris mortalibus vllum,
Non ratio ſtudij, non ſors eſt bella labori.
23 Nam renouante die, mala tædia ſæpe nouantur,
Et dolor eſt operi comes implacabilis omni.
Somni nox genetrix, tacitæ fœcunda quietis
Curarum indomitas neſcit compeſcere fluctus,
Anxia mœrores ſed ruminat illa diurnos,
* Mitia ſedato nec donat iura ſopori.
Vanius eſt rebus, nihil aut damnoſius iſtis.
24 Ergò (dicetis) cœleſtis ſpretor honorum,
Et calcator opum, ſic cui mortalia ſordent,
Quid faciet lætas mentes? quibus elongauerit æuum
Quis ſtudijs? & quid toleras in rebus agendis?
Quid fiet, ſi ſint quæ fiunt omnia vana?
Quin agite, & memori mea condite pectore verba.
Mentis inops non ſum, fieri debentia nolo
Emedio tolli, res aut conuellere agendas.
Poſt varias luctas, poſt tot diſcrimina mentis,
Omnia cum vidi lubrico fluitantia fato,
Et cum mœſtitiam comitem vitę eſſe perennem
Perſpexi,

* Raro dormitant qui ſe ſtrenuè huic mundo dedunt.

Perſpexi, tot & eſſe iritamenta malorum,
Vnica pro multis demum ſententia perſtat:
*Perfer, & obdura (dixi) ne nubila vultus
Adſint, & crudo mens torpeat ægra dolore.
Nec te diſcrutiat permultos voluere caſus,
Nec tolerare graues, lætus tua pectora mulce.
Attritis ne te, ne te macerato ſecundis,
Appoſitis lætus dapibus, lætuſq; remotis.
*Obtingat quicquid quæſitis vtere rebus.
Hoc eſt quod moneo, res hæc gratiſſima rerum,
Se nequeunt homines iſta ratione beare,
Sed beat omnipotens quos vult tam munere fauſto.
25 Et fuit iſta mihi rerum indulgentia læta,
Vtebar partis, ſplendebam diuite ſumptu,
Et mihi magnificis fuit omnis cultibus impar.
26 *Integro vitæ, ſceleris puroq; pudendi,
Dat deus & ſapere, & duris *non cedere rebus.
Numinis hunc pollens ſecurum dextera ſiſtit.
At deſiderium prauo ſuccendit habendi,
Mancipat & vitijs cumulandi plura prophanis.
Parta deus placito diſponit cuncta benigno.
Nam quæcunq; miſer rabie contraxerat acri,
Dante deo, non præſcriptus poſſeſſor habebit.
Sed nouus, ignotus potietur numine dextro.
Autumo ſtultitia nil inconſultius iſta,
Eſſe magis menti pœnam nec poſſe moleſtam.

* Antidotus cõtra mundi & amitatem.

* Moroſitas abigenda.

Pſal. 33. Timor Domini delectat cor.
* Animo conſtanti, & læto eſſe, non eſt in manu hominis, ſed ſolius Dei.

Cap. 3.

Caput tertium.

Recto deus distinxit ordine omnia,
Et cuncta finxit optima,
Sed nostra mens occasionis inscia
Tantum videt præsentia.
Quid se futurum sit nescit, ceu bellua
Cernit suum nec exitum.
Si non homo latus, se sistat fortiter,
Est ipse tanquam bellua.

CAncellis hominum sunt cuncta coërcita certis,
Hos definito dissolui tempore par est.
Omnia tẽpus habent, & habet sentẽtia tẽpus,
Propositumq; animi, quod postea desinit esse.
2 *Qui tener in cunis modò paruus vagyit infans,*
Nunc senio euictus petit illætabile bustum.
Quæ modò multiferæ commissa est plantula terræ,
Arbor erit sæua modò debellanda securi.
3 *Ingruit aduerso nunc victor lętifer hosti,*
Nunc statuit reuocare manus, & parcere victis.
Antiquas, est, cum possessor diruit ædes,
Est, cum rursus humo sustollit marmore celsas.
4 *Qui modo plangebat lachrymis madefactus obortis,*
Nunc alacres recolit festiuo pectore risus.
Qui modò truncus iners sedet altis luctibus æger,
Exercet lętas nunc lętãs & ipse choreas.
5 *Spernimus interdum veteris monumenta ruinæ,*
Atq; eadem interdum palmis sociamus auaris.

Est

Eſt modò qui rapidis cunctans amplexibus ardet.
Deinde catenari nullis amplexibus ardet.
6 Eſt, cum dilectos lubeat conquirere nummos,
Eſt, & cum lubeat congeſtis vtier illis.
Nunc iuuat obſcuris immerſa pecunia ciſtis,
Nunc & munifica volupe eſt deſpergere dextra.
7 Arte laboratas nunc ſtat connectere veſtes,
Nunc animo verſo prædulce eſt rumpere nexas:
Interdum promptæ docili modulamine linguæ
Vtimur, interdum compreſſa voce ſilemus.
8 Nunc decertatis odijs diſiungimur hoſtes,
Nunc & amicitijs fidi certamus amantes.
Nunc tuba ſanguineo ſonitu taratantara clangit,
Pax nunc ſyncero celebratur candida vultu.
9 Sic cum diſcordant, ſic cum remeantq́, meantq́
Res omnes, victæ decurſu præpitis æui:
Quænam operoſorum ſunt emolumenta laborum?
Occupat exhauſtos cor, ſudor perfluus artus?
10 Cognita non vlli pluſquàm mihi cuncta moleſta,
Queis Deus hac vita mortales afficit ægros.
11 Nec tamen ille bonus quid non laudabile fecit?
Tempore namq́ ſuo ſunt commoda quæq́, locoq́:
Expoſita eſt homini mirandi machina *mundi,
Afficit hunc nimium præſentis fabrica mundi,
Totus & in charum demerſus lumine mundum eſt.
Negligit & ſtultus cœleſtis numina Diui,
Quid faciet, vel quid fecit ſecurus, & omne
Impatiens ergò damnat quod cedit amarum.

* Alij Hebraicũ Verbũ gnolam, rotationem exponunt: ego Verbũ (mundi) adhuc retineo.

* Antidotus.

12 * Fœlix ille animi, ſemper, me iudice, fœlix,
Cui non ſulcauit rigidam ruga aſpera frontem,
Cui cunctabundus non exeſt pectora mœror,
Qui ſpes non aridas, non curas paſcit inanes,
Quiq; lubens præſtat bellæ diſpendia cœnæ,
Cui non relligio eſt fortunis parcere partis,
Exigit aſt duræ iucundus tempora vitæ.
13 Hocq; Dei donum pergratus carpit amicum.
Si quid erit læui, ſors ſi quæcunque maligna,
Eſt perferre pium, vana eſt ſine viribus ira.

* Ferendum eſt, quod non eſſe non poteſt.

14 * Nam Deus immoto circundedit omnia fato.
Prouidus imponet quod vult, non addere cuiquam,
Demere non cuiquam fas eſt, ſententia fixa eſt.
Hæc Deus immittit prudens mortalibus ægris,
Vt maieſtatem addiſcant, paueantq; tremendam.

* Ferendũ eſt æquo animo quod alij perplures tulerunt, ferunt & ferent.

15 * Ne tu crede nouum, ſi quid te triſtius vrget,
Inſtanti quæ nunc te tempore cura remordet,
Antea prẽterito pungebant ſæpe priores.
Temporis anteacti reparat Deus vſq; ruinas,
Denuo lapſa ciens integrat ſecla refluxa,
Tempora temporibus regerens, patiendaq; paſſis,
Atq; impertit idem ſeclo non inuidus omni:
Vt quæ cum multis patimur, leuiora putentur.
16 Gens humana tamen, benefactis neſcia flecti,
In ſcelus omne ruit, quod &, heu, lachrimabile vidi.
Iuridicum impietas conſpurcat multa tribunal.
Cenſores ſcelerum cenſus facit eſſe ſceleſtos.
Iuſticiæ ſceptris nil eſt iniuſtius ipſis.

17 Son-

17 Sontibus aſt iſtis cenſor Deus omnibus olim
Jus toruus rigidumq́; , & non mutabile dicet.
Jmpius, atq́; pius ſiſtentur Iudice iuſto.
Cum venit illa dies, opus omne, & cuncta voluntas
Lumine preluſtri domino cenſenda patebunt.
18 Mirabar genus humanum reſipiſcere nunquam,
Ductores ipſos nequam, tumidoſq; gigantes,
Quæ ſeges, aut reprobis quæ ſit fiducia factis.
Cur homo, cur (dixi) mortali ſanguine cretus
Audeat, aut leſiſſe homines, aut temnere Iouam,
Ventoſo tangit quem vana ſuperbia flatu?
Stultus an ignorat, fato quod maximus vno
Et bruta, atq; homines agitatq; , rotatq; Iehoua?
19 *Bellua, homoq; Deo, paruo diſcrimine aguntur.
Nam quodcunque ſolet bruto contingere inerti,
Par, aut prorſus idem ſobolem comitatur Adami.
Stat ſua vtrique dies, breue, & irreparabile tempus
Vtrique eſt vitæ, manet & par finis vtrumque.
Spiritus humanos, & ſenſus qui regit artus,
Spiritus intus alens idem pecudum regit artus.
Non animalis homo vincit ſilueſtria bruta,
Vanus homo, vanum brutum: namquè omnia vana.
20 Vnũ iter eſt cunctis, cuncta et locus excipit vnus,
Ad ſua certatim primordia feſſa feruntur,
Omnia terreni ſunt pulueris incrementum,
Omnia cunctiparam terram terrena requirent.
21 Non hominum quiſquâ ſeſe monſtrare magiſtro,
Quit mage quàm brutum, quid erit poſt funera factũ.

*Animalis homo, & brutum, plurimis in rebus ſix ſecernuntur.

Mens ne hominum celsas superûm rapietur in arces,
An sit visceribus terræ demersa recluſis,
Et bruto similis busto claudatur in imo.
Excors, & stolidus quorsum cinis ergo superbit?
Cur leges temerare audet, cur temnere Iouam,
Aut nihilo, aut paulò brutis præstantior ipsis?

* Antidotus.

**Si non (dante Deo) depulset corde dolores,*
Et si non expers odij, liuoris, & iræ,
Ambitione etiam si non exemptus, & alta
Spe liber, tota verset bona gaudia mente,
Si non tranquillos iucundo in pectore sensus
Pascat, inabrupto refouens sua membra sopore,
Sorte sua semper (sit qualiscunque) locuples,
Nil facit, & brutis non est præstantior ipsis.
Si quod sit sapiens, quod mentis acumine præstans,
Erigat hoc cristas, tumida & præcordia perflet,
Hoc aliquid certè nihil est, mens ipsa sagaci
Consilio nihil expediet, quæ nescia prorsus
Nunc est ipsa sui, sese explorare videndo
Debilis, & nunquam vel saltem dissereт istud,
Ipsa quid fuerit vitæ post fata futurum.

Caput

Caput quartum.

Plorantium fundúntur larga lachryma,
Vexat labor nos improbus,
Austera vita non delectat cœlibum,
Vulgus nouum regem cupit.

SIc adeò humanæ conferta incommoda vitæ
Vsurpanti oculis, modicumq; obliqua tuenti.
Ecce mihi densũ (triste, & miserabile visu)
Examen miserorum hominum, durasq; ferentum
Ærumnas, offert, lachrimis spectabile fusis.
Magnatum mala quos iniuria, truxquè tyrannis
Strauerat infaustos, fœcundaratquè dolendis
Sortibus, & * nullo qui consolante gemebant.
Quippe malignorum fuerat vis tanta potentum,
Hiscere non ausus quisquam, non prodere vultu
Sympathiam blandam, non curas demere dictis.
Suppetias nemo non detrectabat amicas.
2 * Fœlices (inquam) duræ qui tempora vitæ
Funere mutarunt, plusq; queis vita remansit.
3 Sed vos, ô (dixi) vos terq; quaterq; beati,
Nostrum qui nunquàm vidistis viuere tristè.
Quos semper nullos, quos non natalibus auctos,
Non ortos bona fata volunt prorsus bona fata.
Namquè procellosæ fluctusq;, & flamina vitæ
Semper inexperti, non tot gustatis amara.
4 Nec solum satis est, pressuras ferre gigantum,

* Semper maiora minoribus obsunt.

* Sis miser & nulli miserabilis eris.

* Comparantur miseri viui cum mortuis, & non natis.

Perdita, vesani fieri & ludibria mundi.
Sed quoq; quod vanum est, quod mentẽ fœtat acerbo,
Quodq; mihi longus tentando repperit vsus,
* Quicquid agunt homines studijs quãcunq; benignis,
Innocuis, amplis, rectiq; tenacibus omnis,
Carpitur inuidia, liuori subiacet acri,
Alter & alterius res ægris limat ocellis,
Nigratq;, & uitiat morsu rabiosus edaci.
5 * Est quoquè qui stultus vitia in contraria currit.
Inuidet is nulli, non est inuisus ab vllo,
Non opus exercet, manibus, digitisquè plicatis
Cessabundus, iners, penitusquè per omnia torpens,
Frigoris impauidus, non consultusquè futuri,
Otia pigra colens, segni luxuquè fatiscens,
Fundos, & loculos sedet expatratus auitos,
Gurges, potator, barathrumq;, luesq; macelli.
Nec mora, nec requies, donec sibi vellicat aurem
Indiga paupertas, squallentibus obsita pannis,
Ingluuiesquè insana per ora famelica gliscens
Instat, & instimulat sua mandere membra voracem.
6 En quò segnities, desesquè incuria tardos
Impulerit, charas vrgens corrodere carnes.
Nonne fuit satiùs rigidos subijsse labores,
Insudasse operi vigiles molimine gnauo?
7 Si non optato diffundens copia lucro
Prouentu saturo palmas tibi compleat ambas:
Discute tristitiam tamen, & mulcere sereno.
Sanius est tenui tranquillum viuere cultu,

* Sicut potentes opprimunt miseros: ita pares, & inferiores insident paribus, & superioribus.

* Desidiosum.

Quam

Quàm malè ſollicitum theſaurûm condere aceruos.
Hanc ego ſtulticiam non rarò corde volutans
Sole tenus ſtultis dixi nil vanius iſtis.
8 * Eſt homo, qui ſociæ vitans conſortia vitæ, * Cælibum vita non placet.
Fortitèr exoſus tædas, lectoſq; iugales,
Nec dulces natos, thalami nec gaudia norit.
Cui ſua commendet non ergò ſuppetit vxor,
Filius haud illi, non illi filia nata,
Non ſoror, aut frater, ſua quem corraſa beabunt,
Non nepos, aut neptis, vel quauis lege propinquus.
Et tamen irrequietus opus facit, & ſubit omnes
Acris inexhauſtos: ærumnoſoſq; labores.
Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit,
Nulla talentorum ſaturabit copia fauces
Semper hiatrices, cumulus non vllus ocellos.
Mentis inops ſemper, ſemper maleſanus, & amens
Perplexa nunquàm trutinans ſua facta bilance.
Nec tales vnquàm conuoluit pectore voces.
Heû quid ago miſer, aut quanam prurigine tactus
Dementor, gyro circumraptatus iniquo?
Cur ſcapulas onerat grauis hæc prouincia noſtras?
Cui labor improbus hic? totus cur decolor artus
Deformat macies? cui ſic langueſco miſellus?
Quod mihi tam rapidum præcordia concutit æſtrum?
Diceret hæc rectè, greſſumq;, animumq; coërcens.
Res ſiquidem vana eſt, & praui plena negoti.
9 * Eſt melior multo merces in fune duorum, * Fructus coniugij.
Duratura fides ſolido quos fœdere firmat.

10 Non citiùs cadit hic, dextrã quin porrigit alter,
Ille cadit, leuat hic, sic intemeratus vterque,
Sic æquas tradens operas coniurat amicè.
Qui manet infœlix vllo sine compare solus,
Si ruet, (ah longum) nullo tollente iacebit.
11 Par socium lecto si somnum carpit in vno,
Hic rigat alterius consorti membra calore.
At soli vacuo proiecto corpora lecto,
Frigidulos illi quisnam calefecerit artus?
12 Vnus quis tutò potuit certare duobus?
Robur habet validum * triplicis concordia fili
13 Est & pertingens viuacia fata senectæ
Rex vetulus, regni ignarus, malesanus, & excors:
Huic ego prætulerim iuuenem non sortis opimæ,
Indole præclarum, regni non rebus ineptum.
14 Sæpiùs è tenebris, & inerti carcere prodit
Rex bonus, & populum pulchra cum laude gubernat.
15 Proximus affectat regnum qui regius * hæres,
Obsequijs colitur multò plus rege verendis,
Alliciens populum quò vult spe ductat hiantem.
16 Indocilis seruare fidem plebecula regi,
Lege, modo, ratione carens, incauta quid optet,
* Incertis vicibus summè, quod diligit, odit.
Nunc exosa senem, nunc exosura recentem.
Vanius hoc nihil est, res nulla nocentior ista.

* id est, mariti, vxoris, & liberorum.

* Sperata videntur magna.

* Inconstantia plebis erga principes.

Caput

Caput quintum.

Ne vota funde præceps, aut loquax Deo,
Dei stat prouidentia.
Sinit bonos Deus premi, sed sospitat.
Sunt diuitum molestiæ.

SVnt quibus est pietas, sanctosq́, pioſq́ videri. * Hypocrisis vitanda.
His cõmenta placent, & veri cultus imago,
Credula quos laudat puros plebecula diuos.
Sit simulare pio vetitum, non fingere fas sit,
Diuini quoties subeas fastigia templi,
Ne nimis accelera, gestu, gressuue volucris,
Sic vt te iactet tua festinatio sanctum.
Auribus haurito potius pia dogmata pronis,
Quàm pecudes * sacrata Deo, votiuaue dona, * Ceremonia sine fide non placent. Rom. 2.
Victima thuricremas crebrò licet imbuat aras:
Nulla tamen Iouam placabit victima stulti:
Quem mala relligio synceri nescia cœcat.
2 Ne properis voluas precularum murmura labris,
Nec poscendo Deum quicquam * temerarius aude. * Præceps votũ cauendum.
Est Deus in cœlis terrena fece remotus,
Terreus in terris tu degis, origine vilis.
Ergò, Deum cœli modicis affatibus vrge.
3 Vt sint præteritas imitantia somnia curas
Ludicra: sic nec habent malè vota loquacia pondus.
4 Omnia redde Deo, quæ sponderis ante, precando,
Fritas Dominum iurato perfidus ausu
Si non persoluas. Igitur tua vota repende.

5 Tutius est nunquàm quicquam promittere fando,
Quàm non veracem deuotum fallere pactum.
6 Tu nimis audacem linguam constringe catenis,
Ne Domini affligat totius corporis artus.
Angelus auscultat si quid non rectiùs exit,
Auscultansq; Deus violentas transit in iras,
Cui tua flammato sordescunt omnia facta.
7 Est sermo præceps, veluti vaga somnia, vanus,
Sed tremere ora Dei, verbo & parere iubentis,
Hoc durabit opus dio fulcimine nixum.
Tale quidem pectus nullo violabile fato est.
8 Omnia si mundi sus turbida, deq; ferantur,
Impietas rerum si scandet culmina celsa,
Et nudatus ope pauper procumbit humi vi,
Ex totis si ius, & si fas exulet agris,
* Pietas utilis est ad omnia. * Hic pauidus Domini cultor, cœliq; satelles,
Quæ veniunt sortes, capit imperterritus omnes.
Quippe scit inuito fieri nil numine Iouæ,
Ipse ligat regum substrictis ora lupatis,
Præficit & celsis celsos, & præsidet vnus.
9 Si quacunque tibi respondent arua colenti,
* Agricultura & bona est, & magnifica. * Nil mage dulce puta gaudendis fructibus agri.
Regia nam res est (mihi crede) fuisse colonum.
Sæpius & nitidi tractant agrestia reges.
* Fructus agri sunt nummis meliores. 10 * Aurum qui deamat, congesto pauper in auro est.
Fului congeries vana est, & inutilis auri.
11 Diuitiæ crescunt, & opes consumere nati
Seruorum crescit numerus, quid restat auaro,
Cernere quàm charos nummos, sua viscera, mandi?

12 Qui ſatur eſt opibus, curis ſatur eſſe moleſtis
Aſſolet, & dulci caret æger munere ſomni.
13 Caſibus infauſtis ecquis certabit auaro?
Vidimus hoc etenim paſſim ſub ſole dolendum.
Sæpè ſuis Dominis ingentia damna dedere
Ingentes cumuli, nocuit ſua copia multis.
14 Sæpè etiam vanos toti ſparguntur in vſus,
Indiget & totis mendicus proximus hæres.
15 *Nudus, egenus, inops rerum, genitricis ab aluo
Exoritur, nudusq; intrabit limina mortis.
Repperit in terris, in terris omnia linquet
Emolumenta ſui, non exportanda, laboris.
16 Et venit, & vadit nudus. Quid profuit ergò,
Incaſſùm fortes opera* triuiſſe lacertos?
Obſcurus, bona luſtra premens ignobilis æui,
17 Anxietate graui, curis torquetur, & ira.
18 Ergò partorum bonus eſt & commodus vſus,
Quæ labor, & nobis confecit ſedula cura.
Nam curſus properos, & euntia tempora vitæ
Humanæ ſtatuit Deus, hæc eſt portio grata,
Hæc eſt peruigilum merces, meſſisq; laborum,
Non ſpondere animos hilarem, partisq; potiri.
19 Eſt hæc magnifici fœlix donatio Iouæ.
Sic beat ille ſuos, ſic pectora pace relaxat,
Dans & diuitias, & tempora grata fruendi.
20 Sic animis abigit curas, ſuſpiria corde,
Sic lachrymas oculis, ſic nos bonus ille Iehoua
Non patitur vitæ mœſtos meminiſſe caducæ.

* Nemo tam pauper vixit, quàm naſcitur, & moritur.

* Nõ vituperat Selemoh laborẽ, ſed vult cum Apoſtolo honorem corpori relinqui, vult etiam hominem nõ ſpem ponere in opere brachij ſui.

* Antidotus.

Caput ſextum.

Auarus angitur curis, & rumpitur,
Et mente cœca congerit,
Fatis vel inuitis volens diteſcere.
Sed fata perſtant fortia.

QVin etiam hic morbus, quo nõ diſperſior alter,
Mortales macerat non vllo fine beatos.
2 Eſt homo, cui fuerit dexter largitus Ioua
Diuitias ſaturas, compoſtis vndiquè ſaccis,
Et quem nobilitat decoratum gloria lucens,
Cui quamuis auido reſpondent cuncta roganti:
Non tamen omnipotens animumq́, artemq́; fruendi
Suffecit, ſortes perparcus deſerit amplas,
Inſertatq́; manus illis non cognitus hęres,
Addicitq́, malo (miſerum) quæcunque fuere.
3 Ille etſi fuerat centena prole locuples,
Quamuis extremos conſcendit cardinis annos,
Annorum diues, tranſactorumq́; dierum,
His fraudet genium ſi quæ natura requirit,
Si iacet infœlix vllo ſine honore ſepulchri,
Prępropero partu* matrix dirupta parenti,
Annon informem meliùs feciſſet abortum?
4 Nam* naſcens abit, & nuſq́ ſua nomina ponit,
5 Et licet haud vnquàm ſpectauit lumina ſolis,
Non vidit, ſapuit, ſenſit, magis ille quietis
Plenus erit miſero, magis atq́ beatus auaro.

6 Mille

* Conferuntur abortitius & auarus.

* Abortitius.

6 Mille licet * cupidus, dein mille reuixerit annos,
Pondera perpessus, molem, seriemq; laborum,
Non erit ille magis fœlix, quam tristis auarus,
Qui liber curis nullos * spirauit in annos?
Omnia namquè locum tandem referuntur ad vnum,
Tellurem tandem repetit longæua senectus.
7 Quam minimum certè possit natura, sed illam
Aggrauat humanæ mentis malesuada cupido.
8 Obsecro, quid lucri, spolia, aut maiora laboris
Prudens, quam stultus referet? quid profuit illi,
|| Qui re pertenui viuebat sub lare paruo,
|| Terrarum dominum fieri, multisq; potentem?
|| 9 Rectius est, porgit quod sors hodierna, potiri:
Quàm nimis, ah, miserè crescentibus ignibus vri:
Atquè vagis opibus votis inhiare futuris.
10 Immodicis curis nemo sibi proficit hylum.
Fortia fata vetant, fixisq; adamantina rebus.
Non sic notus homo, non tanto robore pollet,
Viribus vt possit cœli contundere leges.
* Inualidus forti semper contendet Iouæ
Quæstibus, & verbis non sic sibi proderit vnquàm.
11 Non parit optandos rixosa loquentia fructus.

* Auarus.

* Abortitius.

* Satiùs sudabit, qui diuina voluntati it obuiam.

Caput ſeptimum.

Quærenda non ſunt illa quæ ſunt viribus,
Maiora perpulchrum eſt pati.
Eſt ira ſtulta ſemper frœnis indigens,
Extrema, ſi ſapis, fuge.
In millibus virorum eſt vix vnus bonus,
At fœminæ minus bonæ.

* *Hominum impatientia.*

LItigat humanũ genus, & non conſulit æqui,
Quod venit aduerſũ, ſed bile recalcitrat acri.
Non ſatis edoctum curto quid tempore vitæ
(Quæ refuga fugiet quauis properantior vmbra)
Vtile viuenti veniet, cæcumq́, futuri,
Recta fugit, fugienda colit, promiſcua turbat.
2 Si quis in hoc populo vitæ præcepta beatæ
Exoptet, potis eſt me perdidiciſſe magiſtro.
* *Principio curæ ſit famam extendere factis,*
Et nomen meruiſſe boni. Nam fama decora,
Balſama ſpiranti facilè exuperabit odore.
Non tua ſit mortis mens conquaſſata pauore.
Eſt expirandi, naſcendi, gratior hora.
3 Nec non te comitem præſtat lugentibus eſſe,
Quàm conniuantes inter ridere iocoſum.
Conditio illorum monſtrabit te quoquè fiet
Quid tandem, poteris viuens tibi fingere mortem.
4 Non niſi mentis inops mutauit ſæpè cachinno
* *Triſtia. Namq́, vices cogunt mortalia triſtes*
Pectora, fortunis non ſeſe efferre ſecundis.

* *Præcepta ad vitam bene inſtituendam pia, & honeſta.*

* *Illa triſtia bona ſunt quæ nos Dei memores reddunt.*

Et

Et carnis curis animi pia gaudia crescunt.
5 Qui sapit, is casus vitæ meditatur amaros,
Parturit insipiens animo sibi gaudia vana.
6 Iurgia prudentis mallem, monitusq; severos,
Assentatoris quàm verba placentia stulti.
7 Flammatæ vt spinæ vanum crepitare sub ollis
Consuerint: rumpit fatuo sic risus inanis.
8 Est labes, qua non lædit vesanior vlla.
Morsibus apprensans bona quæq; calumnia tetris,
Inuida munifici deturpat facta potentis,
* Prudentesq; viros ferit, & furiosa venenat. * Calumnia viros optimos impetit pessimè.
|| 9 Principio quamuis multum valet illa premendo,
|| Fine tamen victrix semper bona causa triumphat.
Fines expecta. Nam fines acta probabunt.
10 Sola potest tantam * patientia vincere cladem. * Patientia semper egregia.
Nec turgesce nimis, nec contra elatior ito,
11 Vltrices vindex nec pectore pascito flammas.
* Iræ principijs obsta, vincito calentem, * Ira.
|| Arguit infirmos animos feruentior ira.
12 Pristina preteriti nec tu mirabere secli
Tempora, presentis querulos nec despice mores.
Friuola prudenti non sunt agitanda cerebro.
Si cum diuitijs poteris iunxisse sophiam,
Hoc melius nodo nil viderit auricomus sol.
13 Est & presidium vitæ, tutelaq; nummus,
Est & presidium vitæ, columenq; sophia.
Sed nummi cumulis longè sapientia præstat.
Munerat ista sui vita quoscunque sequaces.

14 Innixus sophiæ pergas, & facta supremi,
Perscrutare Dei, si quid malè gesserit ille.
15 Non hoc mortalis suadendo digeret audax.
* Utcunquè est, agesis, præsentibus vtere fatis,
Si bona, lætatus perfer: si non bona, perfer.
Omnia nam certo sic voluerit ordine Ioua,
Nil vt mortales poßint sibi fingere certi.
Nec nimium vitijs serui, stultesceuè multum,
Ne subitò feriat lęuo te fulmine Ioua.
16 Plurima compertus, viuendo plurima noui.
Iustitiæ causa iustus male plectitur insons,
Vafriciesq́; malo perfœlix prorogat æuum.
17 * Iusticiæ nimium, sophiæ nimiumq́; satelles
Non fueris rigidus, dabis istoc nomine pœnas.
19 Quod tamē est rectū tu cautus vtrinq; prehendas,
Extremum fuge. Nam medio tutißimus ibis.
Qui pauet æterni ter maxima numina Iouæ,
Omnia perfacilè vitæ naufragia vitat.
20 Non ita primates firmant bis quinque senatum
Vrbe sua, quam cultorem sapientia vallat
Tuta suum, poterit prudens sine cortice nare.
Nec tamen elimat cunctas sapientia labes
Humanæ carnis. Nemo sine crimine viuit.
22 Ergò, quod peccant homines, examine libra,
Sed nec corde premas, nec pandas credulus aures.
Quid te si seruus rixis proscindit acutis,
23 Cum maledictorum tu fulmine sępiùs ante
Infestasti alios? Non te nunc talio pensat?

* Antidotus.

* Impetus & ςοργαὶς vehementiores sunt, & cœlo, & ciuitatibus exitiales, moderatio peramabilis est.

24 Hactenus

24 Hactenus hæc præcepta mihi, dehinc effera vota.
25 Me pertentabant sacraria tota sophiæ
Inuasisse oculis, sed diffugit ocyor illa.
26 Augusti cuius, non audendiq; recessus
Humanas hebetant acies, sistuntq; profundi.
Sic contemplanti latè, multumq; volenti
Discereq;, & sapere, & prudens connectere stulto,
Discutere & densas errorum posse tenebras,
‖ Non malè succesſit, sum voti parte potitus.
27 Cognita sic mulier, atquè eius cognita facta,
Quam tu, si sapias, quid sit tentare recusa.
* Disce meo exemplo formosis posse carere. *Mulier cauenda*
Est certè mulier vel mortis amarior ictu.
Casses corde plicat, manibus fert vincula promptis,
Insidiasq; marem capit illecebrosa struendo.
Cui vitæ est sine labe tenor, rectiq; tenacem
Sospitat, atquè lue semper Deus asserit ista.
Illos ast scelerum quos labes inficit atra,
Implicat hæc laqueis, tricisq; dolosa moratur.
28 Res rebus meditans componere sæpè solebam,
Sedula iudicium profert collatio sollers.
Vir mulier certant, & me sub iudice lis est,
Quis sexus fuerat recto fœcundior, hæsi.
Inter mille viros non est laudabilis vnus,
* Millibus in multis non fœmina bella reperta est. * *Vides quàm mirè pauci sunt qui bonum faciunt.*
30 Certius hoc certo est, facto fundamine mundi,
Rerum opifex purum vitij confinxit Adamum.
Sed studiosa boni ratio, quæ stare solebat,

Praua sequens, vetita sese torquere ruina
Malluit, & sceleris fecit descendere semen.
Sic homines pessum sua pessima facta dedere
Peccant, & pereunt sontes authoribus ipsis.

Caput octauum.

Tu regis imo iussa fige pectore,
Praue regens sibi nocet.
Mortalium sunt cuncta res promiscua,
Sed fata nondum cognita.

COgitat hæc sapiens, & de se iudicat æquè.
* Nobilis ô verè sapiens, verèq; sophia
Excellens, nulli rerumq; secunda bonarum.
O quàm te memorem? què laudem? dia sophia,
Tu rerum latebras aperis, tuq; abdita sensa
Eruis, explanas, tu, tu presaga futuri
Occinis haud fallax, quid erit labentibus annis.
Tu docti faciem formosam reddis, & ornas,
Irradias iubare, & venerando lumine tingis.
Per te mansuescit frontis contractior horror,
Emollis mores, atquè effera corda retundis.
2 Et tu, cui cordi est duce viuere velle sophia,
Hoc tibi cum primis siet alta mente repostum,
* Rex si quid statuat, pendebis ab ore iubentis,
Morigerare lubens iussis, nec perfidus vnquàm

Falle

* Sapientia encomium.

* Rom 13. Non est potestas nisi a Deo.

Falle fidem ſacram, iuſiurandum tibi conſtet.
3 Nec tu conſilio dementi tortus, & ira
Eius diffugias vultus, non vincula iurum
Effrenis lacera, non exlex praua patrato.
Quod libet, hoc regis facit imperioſa poteſtas.
4 Semper habent eius vires preſcripta loquentis
Prævalidas. Quis vult contra conſiſtere regem?
Terribiles affatu nunquis culpare tyrannos
Audeat, aut nocuæ cenſuram poſcere vitæ?
5 Tu legum cuſtos, ſenſus vacuuſq; maligni,
Et fræni patiens, tranquilla pectoris æſtus.
Sic poteris denſas fœlix auertere pœnas,
Sic non ærumnæ, non te fata aſpera tangent.
Sic tibi, ſi ſapias, tutò ſpectare licebit,
Vindice ſupplicio, cruciatos ſæpè tyrannos.
In genus omne malos emenſo tempore Ioua
**Seuiet, & rigidis proſcindet membra flagellis.* **Vindicta Deo permittenda, inuitis carne & ſanguine.*
6 Stant rata fata Deo, ſtant atrox vltio, et hora
Vltrix nequitiæ, dabit (heû) dabit improba pœnas
Vita hominũ. Nam deſcendet quaſi ſtragifer imber,
Tormentorũ ingens, & erunt mala crimina damno.
7 Namquè repentina peccantes clade prementur.
Quæq; inopina ruent, feriunt magis vſquè dolenda.
Sed neq; ſi ſcirent, res eſt medicabilis arte,
Aut pellenda modis, aut euitanda videndo.
*8 *Quis caput inſtanti potis eſt ſubducere letho,* ** Mors neſcia flectit.*
Nectere ſiue moram vitæ, aut tardare ſepulchrum?
Eſt mortiſq; potens, & inexorabile numen.

Indocilis tentare fugam, sentire pauorem,
Eleuat hæc enses, vulnusq; minantia tela.
Turgida quam contra motantur prelia frustra,
Irritus impetus atq; è furit, non ira potentes,
Nec mala calliditas mortis transmiserit hora.
9 Explorata loquor. Nam quæ tegit, omnia, cœlum
Inuestigabam meditans, operosus, & ardens,
Flagranti studio, nec mens est visa tacere.
|| Sepè malos vidi, censuq;, & honoribus auctos,
|| In proprias conscisse animas discrimina multa,
|| Et malè sollicitas secum traxisse ruinas:
Quod prefecturas temerasset stulta tyrannis.
* Hoc nos videmus indies. 10 Quodq; magis miror, * vidi mandata sepulchris
Magnificis, cultisq;, malorum membra virorum,
* Scelera habet interdum prolixa impunitate. * In quorum subiere vices vitiosa propago,
Et malus ascendit sedes non degener hæres.
Ast sancti, queis non fuerat sua vita notata
Dedecore, & queis debebat respublica multum,
Hos illaudatos vidi, obscurosq; perire.
Vrbe sua multas (res absurdissima) nemo
Nomina donauit fama, vel funera fletu.
11 Scilicet hoc illud, quod scrupos gignit, & auget
Mentibus in fatuis, lento pede fertur in iram
Joua bonus, delicta illi tardèq; luit sons:
* Hoc verisimile est, sed verum non est, imò plane reprobum. * Ergò, dant operam vitijs promptiq;, supiniq;:
Et licitum peccare putant, immunequè factu.
12 Ast me sic contrà, sic auditote maligni,
Quamuis centeno quis pergat crimine spurcus,

Differat

Differat & longas cœleſtis dextera pœnas,
Stat tamen hæc nullis lex interitura ſub annis,
Læta manent ſanctos, Iouam timidèq; colentes,
Præmia læta manent, & * erunt ſua prȩmia ſanctis.
13 Dira manẽt prauos, Iouæ quia numina temnunt,
Prȩmia dira manent, & erunt ſua prȩmia prauis.
Nam reprobus ſerum vel viuaciſſimus annum
Quamlibet implebit, tamen huius præpite planta
Vita breuis fugiet, tacitis anniſq; ſeneſcet.
14 Dum tamen in terris cœli captabimus auras,
Lancinat hoc animos dubios vanumq;, malumq;.
Euentus vitam triſtes comitantur honeſtam,
Et mala patrantes ornant fœlicia fata.
Sæpè meam, fateor, violarunt hi quoquè mentem
Incerti caſus, dum quæ ſunt, corde reuolui.
15 * Interea, nihilum mage duximus eſſe beatum,
Quàm ſi quis minimè mœſtus, non craſtina curans,
Priſca ſupercilia, & rugas propellat aniles,
Auri ſollicitus nec ſit fulgente nitore,
Sed bibat, & comedat, frontemq;, animũq; ſerenans.
Nil homini melius ſub cœlo Ioua rependit.
Hæc ſunt auſteri ſtipendia ſola laboris,
Atquè recedentis ſpumans vindemia vitæ.
16 Maxima mortales ſemper diſcrimina, caſus
Multiplices, dubijq;, & crebra negotia vexant.
Hæc ego dum ſophiam gnauo molimine ſolers,
Sum contemplatus, dumq; omnia terrea luſtro.
Eſt deſiderijs mentem laceratus acutus

* Durate ergò in hac ſpe pij omnes morbo, penuria, & iniurijs affecti: durate (inquã) & voſmet rebus ſeruate ſecundis id eſt, cœlo.

* Antidotus.

Infœlix, animis vrgens mala ſenſa, nec vnquàm
Soluitur in ſomnos, oculisuè, aut pectore noctem
Accipit, ambiguis, rapidisq; affectibus æger.
17 Omnia non dextro fruſtrà molitur Ioua,
Semper egens voti, vanum deſudat anhelans.
Quo magis appropias, tantò magis illa recedent,
Quæ quæris cupidus, non fas ſcandiſſe cacumen
Eſt ſophiæ, non * humanis quit viribus vſus,
Hanc ſtabilem vincire ſibi, propriamq; dicare.

* Humanum ingeniũ perquã imbecille eſt, vtinam viderent illud Turca, Papa, Machauellus & eius farina anticœleſtes omnes. Vtinam hoc caro noſtra verè ſentiat.

Caput nouum.

Nos voluimur, dum viuimus, boni, mali,
Planè pari vertigine.
Damnoſa vita multa ſunt incommoda:
Sed tuta res prudentia.

OMnia ſic animis agitabam ſæpiùs, omnes
Callerem vt cauſas, atq; omnia turbida fata.
Iniuſtus, iuſtus, ſapiens, & acumine tardus,
Et quæcunque gerunt, Ioua moderante geruntur.
Oderit, aut deamat Deus, haud euenta docebunt.
2 Omnia nam iuxta cedunt reprobóq;, probóq;.
* Caſibus & præſens non nos diſcriminat æuum.
Impuros, puros, ſynceros, atquè prophanos,
Dantes, non dantes libamina, praua patrantes,
Et non patrantes, periuros, atquè timentes.

Habeat mundus ſuos caſus & præmia, noſtra conuerſatio ſit in cœlis, & mereserit ibide m.

Periuros

Periuros fieri, comitantur miſcua fata.
3 Hinc hominum fera vox, atquè indignatio vecors
Iniuſtum numen, ſortes proclamat iniquas.
Hinc mens extimulata fremit, furit, æſtuat ira,
Et debacchanti permittit verba furori.
* Poſtea buſta petunt, terráq; teguntur inertes.
4 Viuite laudatos igitur, dum viuitis, annos.
Diſcite iuſticiam moniti. Nam labitur ætas,
In viuis ſpes eſt, non ſpes eſt vlla ſepultis.
Eſt melior viuus canis expirante leone.
5 Nam triſtis læthi terretur imagine viuus,
Ediſcitquè mori, & ſanctam ſibi fingere mentem.
Qui ſemel eſt fluxæ perfunctus munere vitæ,
Voluitur is tenebris rerum, & caligine ſpiſſa,
Actio non illi eſt, nec (quam parit actio) merces,
6 Ille & amicitiæ non vincla iugalia norit,
Non odium, non liuorem, non deniquè quicquid,
Quod ſub ſole cadit, non res, fiducia rerum
Non illi, iacet exangui cinefactus in vrna,
Oblitusquè ſuorum, obliuiſcendus & illis.
7 * Ergò age, ne dubita, dulci te prolue vino,
Et depaſce tuos, dona autumnalia, panes.
Dum tua cœleſti ſunt facta probata Iehouæ,
Ito, tuum quò te ſtudium vocat, i pede tuto.
8 Prænitidis ſemper tua corpora veſtibus orna.
Cæſariemquè lubens nardo perfunde madenti.
9 Coniuge cum chara placituros exige menſes.
Quæ tibi ſe iunxit teneris vxorcula ab annis,

* Moriuntur etiam impij, & mortuis non eſt reſipiſcentia tempus. Hic locus ſi rectè expendatur, copioſus eſt & validus contra purgatorium papicolarum quondam Coloniam opulentiſſimam.

* Antidotus.

Huic indiuiduos cupidus seruabis amores.
Hæc sunt, si quæ sunt, præduræ gaudia vitæ,
Nec lucro mage fœlici labor improbus auget.
10 Acris opus facito, sors & quæcunque ministrat,
His tu præstandis, sortisq́, & sedulus insta.
Tempus erit, cum tu qui vita, vi quoquè polles,
Viribus attritus miser, effœtusq́; iacebis.
Qui semel extincti viserunt viscera terræ,
Non opus exercent, sed non sapiuntùe, sciuntùe.
Expers consilij, sensusq́, est, namquè sepulchrum,
Quò tu tam properè decliui tramite pergis.
11 Hoc etiam, quod erat, vidi, mirabile visu.
* Sententiæ Gerè aurea. Iere. 10. Non est hominis via eius.
* Qui celer est pedibus, non vincit præpite cursu,
Militis in bello nec prodest mascula virtus,
Ars, aut ingenium non dant ditescere scitis.
Nec benè apud memores hominis stat gratia docti:
* Sors est decretum Dei hominibus incognitum.
Sed * sors, & tempus multum dominantur vbiquè.
|| Intererit valdè, quo res in tempore fiat.
12 Temporis ignari captantur arundine, & hamo,
|| Squammea gens pisces, inconsultæq́; futuri
Deceptantur aues, viscoso vimine tardæ:
Haud homines aliter non nota occasio fallit,
Et subitæ sortes improuida pectora ledunt.
13 O quanti est sapere, & quos prudentia fructus
Me cernente tulit. Nam quod memorabile vidi,
Edicam, memores queso demittite in aures.
14 Vrbs erat exilis, non multo milite tuta,
Turribus haud munita suis, muroùe tenaci,

Bellica

Bellica quam contra trux mouerat arma tyrannus.
Hic animis ſpirans hoſtilia plurima ſæuis,
Ciuibus intentans ferrum, tectiſq; ruinam,
Pectoribus multum ſubſorbuit ante cruoris.
Quis tibi tunc, ciuis, cernenti talia ſenſus?
Quosùe dabas gemitus? quid erat ſperare relictum,
Cum ſic precipiti cernebas aggere cingi,
Scandebatq; tuos fatalis machina muros?
Cum te lethalis paſsim circumſtetit horror,
Et belli facies, & plurima mortis imago.
15 Viribus * ingenij vir pauper reſtituit rem
Ciuibus, & fatis crudelibus abſtulit vrbem.
Vrbs * ingrata tamen meminit non ampliùs eius
Pauperis, egregium facinus, laudemùe celebrans.
16 Aſt ego ſic mecum: Prudentia pauperis huius,
Sit quamuis fama non nobilitata loquaci,
Eſt tamen atquè armis, & robore tutior omni.
17 In paucas ſapiens voces ſi ſoluerit ora,
Senſa animi preſsè, perfœdateq; loquutus,
Auriculas hominum citiùs deuincit, & omnes
Occupat arrectos, atquè alta ſilentia ponit:
Quàm ſi clamoſo rex detonet ore canorus,
Ampullas tumidas, & ſeſquipedalia verba.
18 Exuperat bellumq;, & bellica tela ſophia.
Armorum ſapiens iratos mitigat ictus,
Vnius aſt noxam multorum damna ſequuntur.
Et fatui malefacta * ducis populus luit omnis.

* Sapientia plurimum poteſt.

* Certé, & totus mundus immemor eſt beneficiorum & ingratus ferè ſemper erga optimè de ſe meritos.

* Rex malus malum publicũ.

Cap. 10.

Caput decimum.

Vir stultus, & prudens permultum differunt.
Author mali pœnas luit.
Sunt insciy reges, & sapè pessimi,
Tu quid loquare sed cane.

DEfuctæ vt muscæ, putresq́, vnguẽta venenãt,
Et benè fragrantẽ pelluntq́, fugantq́; nidorẽ:
Stulticiæ sic particulis natura laborans,
His* neuis animum spurcatquè, & polluit omnem.
Inficit & sanctos homines, summèquè decoros.
2 Cor gerit in dextris sapiens, & dirigit illud
Imperio quò vult forti, sistensq́, iensq́.
Stultus at* ignaua cor tractans vsquè siniſtra,
Debilis effusas illi permittit habenas.
3 It, redit, inuisis & gestibus æger ineptit,
Fastiditquè alios, sese deamatquè philautus,
Turgida ventoso distentus pectora fastu.
Se solum sapere, atquè alios stulteſcere credit.
Non vlli parcit, sed contra audacior ardet.
4 Sed tu qui sapias irato cede potenti,
Mentem consueto nec tramite pelle quietis,
Sed placidus perfer, * patientia mitigat iras,
Subruit & bilem, lenitquè immitia corda.
5 Nec tu crede, malos aliquando defore reges,
Queis ratio sordetquè, & erit pro lege voluntas.
6 Desipiunt etenim, plenoquè inflantur omaso
Sæpius, atqùe hebetes sunt rerum culmina nacti.

* *Vetus homo noſter quantum fieri poteſt, purgandus eſt: rectiſſimè faciũt qui ſe ſæpè & syncerè examinant.*

* *Stulti ſuperbientis permagna eſt intemperantia.*

* *Magna eſt patientia virtus.*

* *Mundus quos nimium fouet, ſtultos facit.*

Et ani

Et qui mercedem virtutum laude merentur,
*Orbati viuunt penitùs spe, reqùe miselli.
7 Præmundam tressis conscendit homuncio mulam,
Cum bonus, & sapiens vili procedere gressu
Cogitur, & fesso silices pede conterit atras.
8 Rex fatuus patratq; scelus, penditq; patrati
Supplicium iustum. Foueam nam fodit, & ipse
*Irruit in fossam, sepem diffregit, & anguis
Improuisus adest, & dat trux dente venenum.
9 Sæpiùs immanis currens sub pondere saxi
Nutat, & ingentem deplorat voce ruinam.
Audaci findens obstantia ligna bipenni
Scinditur, oblædit crebrò retroacta securis.
Læditur à multis, cui multos lædere cordi est,
Authoremq; suum nequam versutia sternit.
10 Quis queat obtuso quercum discindere ferro?
Quis sine vi mentis regni tractabit habenas?
Si bene quid fiet, certe sophia duce fiet.
11 Est qualis serpens, cui nõ vis dempta nocendi est,
Est talis nigra spargens conuitia lingua.
12 Aurea prudentis comitatur gratia verba,
Vox stulti imprudens stultum pessundadit ipsum.
13 Inchoat hic fatuas primò, garritq; loquelas,
Postea bacchatur, lingua furiosus, & amens.
14 Venditat, & fundit sua garrula verbula stultus,
Exundans dictis, & hianti prodigus ore,
Securus quò verba cadant, quid contigit ante
Multiloquis, vel quæ possunt sibi damna venire.

* Contra hæc omnia tu illud opponito. In patientia possidebitis animas vestras.

* Malum consilium authori pessimum: nemini vnquam indulsit peccato impunè.

15 Debilitat ſcapulas ſtultorum ſarcina dura,
Non vbi ſe exonerant, * via ſe quæ ducit in vrbem
Cognorunt miſeri, queis non monſtraueris vnquàm
Tandem claudendo finemùe, locumùe labori.
16 Se grauat, atquè ſuos hominis væſania ſtulti.
Sulticiæ regis pœnas Reſpublica pendit,
17 Infœlix tellus, infœlix incola terræ
Illius eſt, cuius puero mandata tyrannis,
Conſpectatq́; duces ſurgens aurora bibentes,
Et creſcente gula ſiccantes pocula plena.
Fœlix, ô nimium regnum, & plebecula regni,
Quam frœnat regis maturi dextera virtus,
Cuius * magnates conuiuia parca frequentant,
Nec putri luxu marcent, dapibusùe ſolutis,
Ingluuies ſegnis, torpensq́; ignauia tigna,
Tectorumq́; trabes infirmans, detegit ædes,
Triſtes immittens pluuias, cœliq́; ruinam.
18 Hi quaſi ſunt ad opes & pinguia prandia nati,
Iugitèr implentur vini, riſusq́; , iociq́; ,
De cute curanda plus æquo operata caterua
Scilicet, eſt illis opulenta * pecunia ſemper
Et cibus, & ſeges, & tantorum cauſa malorum.
19 Sed tamen, vtcunq́; eſt, tu nil de rege referto,
Vel ſentito mali, vel de locuplete potenti.
O quàm non tutũ eſt de * principe fingere quicquam?
Proruet in medium, quod tu ſine teſte volutas,
Et tua nudabit cœli mala ſenſa volucris,
Perſolueſq́; truces referente vel alite pœnas.

Prouerbium eſt, publicam vim non nouit. i. nihil nouit.

* Cum ſe eſculentis & poculentis dedunt magnates, reſpublica ſtatim ruit in præcipitium.

* Opes ſunt irritamenta malorum.

* Vitia taxare non eſt principes ledere, ſed de principe aut malè loqui, aut ſentire, & eſt periculoſum, & impium.

Caput

Caput vndecimum.

Præstant bonum terrestria, & cœlestia,
Et arbores, & nubila.
Benignus esto dum fert dies, & deus,
Nefas & odi iam puer.

NOn sic, ò reges, nec queis est copia rerum,
Ventre tegatis opes, fruges saturiue voretis.
Non vitij fœcunda parens, gula, dissipet æra,
Non luxus populator opum, præcepsúe libido,
Integras vestras pauper sibi vendicet arcas.
Protritis hilares succurrite rebus egeni,
Qui cupis egregias pietatis discere normas,
Non tibi, sed remoræ tempusúe, locusúe daturo.
Sed potius rapidis * panem concredito lymphis,
Gurgitibusúe vagis super ingere prodiga dona,
Et frustrà dato, quàm cesset bona functio dandi.
Et dare magnificum est miseris, & non dare durum.
Tempora si fuerint posthac tibi nubila, fructum
Percipies tandem benefacti, & præmia lætus.
2 Sint septem, vel sint octo, maior numerus re,
Emendicatos cupiunt arrodere panes.
Sunt plures miseri, benefaxis pluribus ergà.
Multis multa dato, dum vult occasio præceps.
Quàm citò crebrescent nescis, vel quæ mala terris.
3 Sis bonus, & cœli sectare exempla benigni,
Nonne vides liquidis cum stat polus * imbribus altus,

* Beatius est dare quam accipere.

* Cœlum dat pluuias, & arbores fructum: dat & homo homini eleemosinam.

Non hos thesauros proprios detentat in vsus,
Sed mittit pluuiam, & terras irrorat amicè?
Aspice terrestris quàm sit generosa vel arbor,
Parturit, & gratis oneratur turgida pomis,
Educat incuruans, & versicoloria iactat,
Mox sinit insultare solo, fructusq; remittit
Omni parte libens, adstantibus vsquè ministrans
Digna legi manibus, iucunda obsonia poma.
Quaq; ruêre * iacent, sic dat cœlumq; , solumq;
Tempore grata suo, sed nec tu tempora differ.
4 Qui nimis obtutu ventos speculatur acuto,
Tempore non mandat cultis sua semina sulcis.
Imbres qui pauet, & subnigri nubila cœli,
Illius haud vnquàm messes teret area pingues.
Tu ventos nescis, ventorum aut inscie causas,
Quæ sit materies illis, aut quæ sit origo.
5 Tu nescis matris quomodo formaris in aluo.
Nescis qui crescunt, quomodo durantur & ossa,
Vt constant, quanam sic sunt compage reuincta.
Humani non est cerebelli noscere causas,
Aut opus omne Dei, tu non oculatior esto,
Scrutariuè volens, nec pergito quam licet vltra.
6 Sed tua curato, promptoq; incumbito corde,
Obrue diuiduis genitalia semina terris.
Fac aurora tuos videat, vesperq; labores,
Peruigiles, tempestiuos, serosq; citosq;.
Forsan te vesper, te forsan mane beabunt,
Tu nescis, forsan te compensabit vtrumq;:

Velle

* Perplacet illa doctrina mihi, qua hodiè stabilitur de prouidentia Dei: sed hic locus quantũ ego video, non potest ad tale propositum accommodari.

‖ *Velle tuum tibi erit, pleno & complebere voto.*

7 **Dum lux est, operare bonum, gratissima rerum*
Lux est, sol oculis lumen concedit bonorum,
Et nitidum, & gratum, dum lux est, luce potire.
8 *Luminis est vsura placens, mulcensq; videntem,*
Sed breuis est lux hæc, homines fallitq;, fugitq;.
Nam tu centenos si luce fruare per annos
Viuidus, & carpas auras, si venerit vnquam
*In mentem tibi *multorum pia cura dierum,*
Et citò venturæ prolixæ noctis, & vmbræ,
Qua tu perlongum fueris defunctus amictus:
Tunc rumpet vox vera tibi, diceſq; ſonorus
Luminis vſuram vanamq;, atq; omnia vana.
9 *Non ego lætitiæ tibi ſum diſſuaſor honeſtæ,*
Non ſum, qui doceo rugas inſculpere fronti,
Nec curas diſcet, me præceptore, inuentus.
Si iuuenis, quocunq; velis, lento pede liber.
Ludito præteneris iam dum viridantibus annis,
Te dato delicijs, te mollem mollibus exple.
Occupet illectrix tua corpora tota voluptas,
** Hactenus, vt memori reſtet tibi corde repoſtum,*
Te cœco nunquam quicquam delinquere Ioua.
Ille tuam vitam iudex callebit ad vnguem,
Et cuiuſq; tui ſtabit ſententia facti.
10 *Fram pelle animis, & prauo crimina corde,*
Nam pede peruolucri fugit, heu, fugit alma inuentus,
Dein ſubeunt morbiq; mali, triſtiſq; ſenecta.

* *Bis dat, qui citò dat.*

* *Hoc ævum breuè eſt & imbecille: quod futurum eſt, erit ſtabile & diuturnum.*

* *Eatenus permittenda eſt voluptas iuuentuti, quatenus cæli recordationem, & timorem Dei inconcuſſum teneant.*

Caput duodecimum.

Fugit inuenta dia, læta, vinida,
Et membra cedunt fortia.
Nil crede tutum, quod tuo est in corpore.
Est hic liber meus bonus.
Num vis, vt eloquar semel, quod sentio?
Mandata fac dei timens.

ERgò decet meminisse dei, dum suppetit ætas
Vernans, & donec sinit hoc occasio fœlix,
* Anteaquam te sera dies vitiarit, & anni
Ingruerint, quos tu culpabis, sæpe querelans
Esse malos, duros, diros, nulliq; placentes.
Obstruat anteaquam lippis damnosa senectus
Luminibus, minuatq; tibi sol, lunaq; lumen.
2 Nam veluti pluuijs spissus cum soluitur æther,
Nube, nouaq; iterum cœlum subtexitur atra,
Naturæ vultus non cernitur, omnia nubes,
Omnia nigrescunt piceis obscura tenebris:
Haud aliter vetulis horrescunt omnia fusca,
Omnia caligant, & stat pro nube serenum.
Hoc mihi tunc certè, tunc tute fatebere verum,
* Quum manuum te destituent & robur, & vsus,
3 Atq; trement * illæ, queis quondã corporis artus
Omnes sunt tuti, multo ceu milite tectum.
* Crura vacillabant cum fortia, quæ tua gestant
Corpora, ceu validiũe viri, validæũe columnæ.
3 Tũ tua non fruges * mola fregerit amplius vllas,

Gingiuas

* Post est occasio calua.

* Ætatis decrepitæ genuina, & graphica descriptio.

* Manus.

* Crura.

* Fauces & Dentes.

Gingiuas fueris cum iam quaſi prorſus inermis,
Atq; molent laxi dentes tibi, & ordine rari.
Cumq; * oculi putres non cernent amplius, illi, * Oculi.
Illi cancellos, ſua perq; foramina quondam
Arguto nitidi qui norant omnia viſu.
4 Oſtia cumq; oris, fuerint non clauſa * labella * Labra.
Exterius, tunc cum fauces panduntur hiantes,
Languidulas voces gutturq;, & ora figurant.
Cumq; tuos artus ſomni reſideſq;, pigriq;,
Non iam deuincent, & cum criſtata volucris
Pulſibus, & cantu tibi rumpet ſæpe quietem,
Cum captatrices flacceſſent carminis * aures. * Aures.
5 Quando loci metues ſcandiſſe cacumina celſi,
Et lapidoſa tuum ne turbet ſemita * greſſum, * Pedes.
Et cum cæſaries caneſcet, * amigdalus arbos * Caput.
Vt ſolet, & * ſcapulæ fuerint quaſi macra cicada, * Humeri.
Protuberes, graciles, gibboſæ, robore caſſæ.
Deliciæ fugientq; ſimul.
Capparis exacuet tibi cum non acris * orexin, * Appetitus.
Et gula decreſcet iam non ſtudioſa culinæ.
Tunc homo cogetur pergratam linquere lucem,
Terrenaſq; habitare caſas, & corpora ſubter
Ponere humum, nec non numerus tunc ordine longo
6 Hunc pullatorum ductans ſuſpiria flebit.
Cum mors ſpinalem vorat inſinuata medullam, * Spinalis medulla hic locus perobſcurus eſt ego quod potui praſtiti.
Argenti quaſi * funiculus, qui rite cucurrit
Oſſa per, & dorſum, cumquè aurea defluat vſquè
* Lenticula, egregium mater veſtita cerebrum. * Cutis qua tegit cerebrum.

Cum quoquè deficiunt, interrumpuntq; * canales
(Succosæ venæ) calidum nec sanguinem adulant
Ex * hepate, vt largo sic membra cruore rigentur.
Tunc * caput, humores doctum exhausisse benignos
E * stomacho, rota ceu solet euexisse liquores
Ex puteo, tunc dico caput resolubile durum est.
7 Tunc morietur homo, tunc terram terra reuiset,
Materiam ad priscam putridus puluisculus ibit.
Spiritus ad dominum scandet, repetetq; datorem.
8 O fragiles res humanas, ò semper vbiquè,
Præcipites, vanas, fluidas, verèque caducas.
Hæc ita clamoso præco pius ædidit ore,
9 Præco, quo fuerat nunquam sapientior alter.
Flexanima quondam populum vi, vocequè duxit,
Detonuitq; pia sua dogmata dia cathedra.
Multa catus genio fœliciter ille * notauit,
Est inuenta illi perscita parœmia multa.
10 Sermones lima compta, vigiliquè * poliuit,
Sacráque scripta dei sacrè tractauit, & omni
Tempore, cordato fulcîbat pectore verum.
11 Hunc ergò vilem noli censere libellum,
Quem quamuis Selomòh pastor contexuit vnus,
Esse tamen doctum sapientum calculus omnis
Approbat, & grata commendant voce magistri.
Hic liber egregiè * stimulis fodit acris inertes,
Vrget & insontes, & calcar sontibus addit,
Et veluti clauis homines compingit ahenis,
Ne quà præcipites veri de tramite nutent.

* Vena maiuscula.

* Hepar est fons

* Caput est rota aquaria.

* Stomachus est puteus, nam caput haurit humores è stomacho, sicut rota per funem & hauſtrum solet ex puteo.

* Selomon non erat oscitans, aut extemporarius in concionibus sed meditabundus & studio deditus.

* Eloquentia nõ est vitium in cõcionatore: nam Selomon magnã nauauit operam vt esset eloquẽs.

* Illi & libri, et cõciones boni sũt qui quasi stimulis instigant mũdũ ad virtutem, & rursus quasi clauis cõfirmant ne labantur in vitia.

Hic

Hic liber hic bonus eſt, alios mi nate caueto.
** Sunt nam perplures rixis, nugiſue referti,*
Mendaces, bardi, triuiales, ignibus apti.
Tu fuge, tuq; fuga tales, pie nate, libellos.
Aſpicis, vt paſsim quod dictat ſplendida bilis,
Gloria quod ſuadet, vel amor ſceleratus habendi.
Scribunt indocti, docti, pueriquè, ſeneſquè.
Compilandorum finis non vlla librorum eſt.
*Quin etiam inuitas * præco malè prægrauat aures,*
Cum prolixa nimis crebrò vaga concio creſcit.
Ergò, ſit iſta meæ finiſquè, & ſumma loquelæ:
*Tu * reuerere deum timidus, tu iuſſa ſupremi*
Sedulus exequere officijs, hoc ſpectat ad omnes,
Hoc gnaui præſtent, pia fœmina, virq;, puerquè.
*Omne opus occultum * librabit lancibus æquus*
Sit rectumue, malumue deus. Nam iudice Joua
Sunt quæcũq; hominũ tandem ſtabuntue, cadentue.

* *Sunt qui abuntur libris, & ſcriptione.*

* *Sunt qui abuntur pulpito, & concione.*

* *Hac eſt aurea cæleſtis, & optima antidotus contra omnes omnium etatũ preſſuras.*

* *Tremant omnes Athei, Epicurei, pertinaces heretici, ſubdoli, maleſici, & hirci in diem illũ: omnes vero pij, & oues dominici gregis exultẽt & leuent capita ſua.*

Ad Deum carmen eucharisticon.

ET soli, & cœli Domino lubentèr
Gratias grandes agimus potenti,
Ingenî quas vult dat opes, & illas
Auget, & ornat.
Ille me clemens teneris ab annis,
Me bonis fatis malè iactitatum
Sospitem fecit, facietq; semper,
Se duce, saluum.
Ille me tectis rapiens auitis,
Fecibus crassi remouebat æui,
Nolui t nequam patria perire
Relligione.
Ille me Christum coluisse Iesum
Vnicè gratum docuit, docere
Posse me fecit, mea corda fulcit
Speq;, fideq;.
Meq; post largos aliquot dolores,
Naufragos casus, miserosq; morbos,
Edocet librum Salomonis istum
Reddere versu.
Sic pater pergas, pater, ô pater mi,
Edoce me te sapere, & sonare,
Dedoce curas, rabidosq; mundi
Velle labores.
Robora pectus, cruciatus aufer,
Legibus cœli placitumq; subde,
Semper vt dicam, tua sancta fiat
Ioua voluntas.

Votum ad Deum opt. max. ante Iobum inchoandum.

GRandisonis dictis cantare, & diuite versu,
Mens auet, & iusti voluit praconia Iobi.
Esurit ad tantum facinus mihi pectus, anhelum,
Spe validum tamen, & multa, & praclara minatur.
Nunc cœli reserandus honos, & magnus Ioua.
Huc ades omnipotens, dicturo suffice venas
Prasaturas, grandesq́, atque in mea vota reside.
Da portum sanis mihi tempestatibus acto,
Protege non vafrum, nec iniquis litibus aptum.
Irrora ingenium fausta pinguedine cœli,
Defœca hos sensus, mortaliq́, exime cura,
Insertabo polo caput, & tibi carmina pangam
Magnifica, & serò vix antiquanda sub ævo.
Non mea sex carnis, tua sed sapientia Christe,
Si faciam, faciet, tibi laus, tibi gloria soli.

Iobi exordium.

ESt locus, Hussiam prisci cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armento, atque vbere glebæ.
Accola præpinguis fuerat telluris Iobus,
Vir bonus, & Iouæ metuens, syncerior alter
Non fuit in viuis, scelerisue fugacior omnis.
Hunc Deus haud pauca faciebat prole parentem.
Mascula namque illi sunt ædita pignora septem,
Tresque simul gnatæ, spes hinc, atque inde nepotum.
Diues erat pecorum, gazæ & prædiues agrestis.
Montibus errabant altis vaga millia septem
Lanigeri generis, validi ter mille cameli,
Ruricolæq́, boues huic bis quingenta fuere,
Quingentæ pigræ, & prapandæ tergora asellæ,
Mancipiorum etiam gnauorum turma locuples.
Quos oriens habuit cunctis prædatus Iobus,
Iustus erat, nulli censu, aut pietate secundus.

Cætera Deus, & dies

¶ *In mortem parentis sui, Thomæ Drantæ, qui eodem fere tempore expirauit, quo absolutum est hoc Salomonis Carmen.*

ANte duos annos, cum tunc moribundus & essem,
Matrem narrabant occubuisse meam.
Postq; duos menses rursus mala damna ferentes,
Maiorem clamant fratrem obiisse meum.
Postq; duos annos eadem me fama volucris
Vrget, & extinctum prædicat illa patrem.
" Vix iam desieram Selomonis claudere versus,
" Inq; sua charta litera cruda stetit.
Filius vt librum, genitor sic finijt æuum.
Libri, hominis, lati finis & orbis erit.
Sic matrem, fratrem, patrem fera fata tulerunt,
Mors natos tollet, tollit vt illa patres.

FINIS.